



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbatibvs, Præpositis, & universo clero, Comitibus, Baronibus,  
ministerialibus, & aliis in Maguntinensi diocesi constitutis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

innovamus, statuentes ut nulli omnino hominum &c. nostrae confirmationis & innovationis &c. Si quis autem &c. Datum Anagninae 111. Kal. Junij, anno undecimo.

**NOBILIBVS VIRIS RINGRAVIO & Vberto de Sannemburch.**

*Epist. 91. Temporalia archiepiscopus parus Maguntinensis eis committitur.*

**Q**uanto venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem Archiepiscopum seniori diligimus in Domino caritate, tanto circa suas justitias conservandas abundantior ei favorem nos convenit impertiri. Cum igitur ipse de fide ac prudentia vestra confidens, negotia sua vobis commiserit procuranda, nobilitatem vestram monemus attentius & hortamur quatenus univ[er]sa jura temporalia Maguntinensi Archiepiscopo competentia, illis nunc duntaxat exceptis quae ad regalia pertinere noscuntur, ad opus & mandatum ipsius taliter procuretis quod de fidei & prudente possitis sollicitudine commendari. Nos enim Principibus, Comitibus, Baronibus, ministerialibus, & aliis in Maguntinensi diocesi constitutis, apud quos idem Archiepiscopus hujusmodi habet jura, direximus scripta nostra ut super ipsis vobis, prout tenentur, respondeant vice sua. Datum Anagninae 111. Non. Junij, anno undecimo.

**ABBATIBVS, PRAEPOSITIS, ET univ[er]so clero & populo Maguntinensi.**

*Epist. 94. De eodem argumento.*

**Q**uanto venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem Archiepiscopum &c. usque impertiri. Monemus igitur univ[er]sitatem vestram & exhortamur attentius, per apostolica scripta mandantes quatenus his quibus ipse jura tam spiritualia quam temporalia Maguntinensi Archiepiscopo competentia, illis nunc duntaxat exceptis quae ad regalia pertinere noscuntur, procuranda commiserit vice sua, curetis, prout tenemini, respondere de ipsis. Alioquin venerabili fratri nostro Archiepiscopo Treverensi & dilectis filiis Abbati de Remestorf Treverensis diocesis & Archidiacono Treverensi dedimus in mandatis ut vos ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Datum ut in alia.

**ABBATIBVS, PRAEPOSITIS, & univ[er]so clero, Comitibus, Baronibus, ministerialibus, & aliis in Maguntinensi diocesi constitutis.**

**Q**uanto venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem Archiepiscopum &c. usque impertiri. Monemus ergo univ[er]sitatem vestram & exhortamur attentius, per apostolica scripta mandantes quatenus his quibus ipse jura &c. usque de ipsis. Alioquin venerabili fratri nostro Archiepiscopo Treverensi &c. ut supra usque ad finem. Dat. eadem.

*Epist. 91. Super eadem materia.*

**PRAEPOSITO, DECANO, & Capitulo Sueffionensi.**

**O**lim bonae memoriae Sueffionensi Episcopo in partibus Constantinopolitanis agente, officiales ipsius per litteras nostras rogandos duximus & monendos, nihilominus ipsis praecipiendo mandantes ut dilecto filio Roberto Vassiaci Diacono ecclesiasticum beneficium non habenti praebendam in Sueffionensi Ecclesia, si qua vacaret ibidem, pro reverentia beati Petri & nostra sine qualibet difficultate conferrent; alioquin primo vacaturam donationi nostrae praecipimus reservari personae idoneae conferendam; vobis dantes etiam in praecipis ut ad praebendam, si qua in vestra Ecclesia tum vacaret, vel quam primo vacare contingeret, nullum recipere praesumeretis in Canonicum nisi cui nos conferendam provideremus eandem. Cum autem postmodum quaedam in Ecclesia ipsa vacasset praebenda, praefatus Episcopus interim de sua peregrinatione reversus, ipsam, apostolico praecipio contempto, nepoti suo de facto, cum de jure nequiverit, pro sua voluntate concessit. Deinde vero, licet vos nobis scripseritis contra clericum antedictum, quod nequaquam idoneitatis meritis juvaretur ad hujusmodi beneficium obtinendum, dictusque nepos Episcopi processu temporis a nobis postulari instanter ut praebendam ipsam confirmare ipsi auctoritate apostolica dignaremur, nos tamen reputantes indignum mandatum apostolicum sic eludi, petitionem ejus in hac parte nullatenus volumus exaudire. Verum praefatus clericus apud sedem apostolicam longo tempore moram trahens sedulus expectavit si forsan aliquis compareret qui vellent in personam ejus aliquid obicere ac probare propter quod ei de jure beneficium ecclesiasticum ne-

*Epist. 96. Ut Robertus Vassiaci permittantur accedere praebenda Sueffionensi.*

